

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XL. Sit mansuetus & placidus ergà omnes.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082

disfidium (*παροχυσμός*, concertatio, irritatio, dissensio, eine Erbitterung und Erschütterung des Gemüths) inter Paulum & Barnabam Actor. XV. 39. quorum coelesti oraculo sacrata societas, tot periculis probata, tot laboribus firmata fuerat, sed expertus ipse Apostolus dissidiorum & concitatorum incommoda, *ambulare nos jubet cum omni modestiâ & mansuetudine, cum animi lenitate tolerantes nos invicem per Charitatem, studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis*, Ephes. IV. 2. & 3. Confer. Coloss. III. 12. 13. Quapropter.

XL.

Sit mansuetus & placidus erga omnes.

Εὐχρηστίς

Aristoteli Lib. IV. Ethic. ad Nicomach. cap. 5. *πραότης seu mansuetudo est μεσότης πρὸς ὀργάς, moderatrix iræ, sive quæ iram temperat, ne in excessum abeat, sed intra gyrum rationis se contineat. Hanc virtutem, utpote quæ hominem Deo gratum & populo amabilem reddit, omnibus fidelibus commendat S. Jacobus cap. III. 13. inquit; Qui sapiens & sciens inter vos, ostendat ex bona conversatione opera sua. Εὐφραδὴς ὁπίας, in mansuetudine sapientie.*

R 2

(He-

(Hebraismus est, pro mansuetudine sapientie, sive in sapientiâ, quam mansuetudo comitatur.) Requirit autem *πραῦτης σοφίας*, ut in alios acerbiorē sermone non ferociamus, aut verba asperiora adhibeamus, ubi benignioribus proficere possumus. Itemque S. Paulus Gal. VI. 1. scribens; *Fratres, si es preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos spirituales* (*οἱ πνευματικοὶ* i. e. *renati*, sive Clerici, sive Laici, contra Salmeronem Tom. XV. disput. 32. in Epist. Pauli ad Galat. intelligentem hic per *πνευματικῶς* solos Clericos & Sacerdotes,) *καταρτίσετε* (*καταρτίζεσθαι* est membrum luxatum, in locum suum reponere,) *instaurate eum in pristinum statum virtutis* *ἐν πνεύματι πραότητι*, in sive cum spiritu mansuetudinis, quæ est donum Spiritus S. ei que placet Galat. V. 23. imò ipse Paulus malebat ad Corinthios suos venire *ἐν ἀγάπῃ, πνευματικῇ πραότητι*, quam *ἐν παύσει* in *virga* i. e. severitate, duris increpationibus, asperisq; reprehensionibus. I. Cor. IV. 21. Omnem igitur importunam verborum acrimoniam procul hinc exulare vult. In primis Ecclesiastico Præsuli Mansuetudo necessaria est. Nihil enim ita fidei susceptioni adversatur, atque vis & violentia; Non est fides nisi volentium. Rectè Augustinus Tractat. 16. in Johann, inquit; *Cetera posse hominem etiam*

etiam nolentem, credere non nisi volentem.
 Placidi sæpè suâ lenitate lucrifaciunt, quos
 morosi sævâ suâ objurgatione alienant.
 Mansuetudo enim & moderatio efficacior
 est ad corrigendos, emendandosq; homines,
 quàm sævitia & morositas. *Plus proficit
 amica correptio*, inquit *Ambrosius* Lib. VIII,
 in Lucam quàm turbulenta accusatio, illa pu-
 dorem incutit, hæc indignationem movet. *Ly-
 ra* rem simili declarat, inqviens; *Qui im-
 moderate lignum tortuosum dirigit, frangit;
 & qui immodestè corripit, obstinatorem in malo
 facit.* Nihil mansuetudine validius, nihil mo-
 destiâ efficacius, inquit *Chrysostomus* Homil. I.
 de Incompreh. Dei natura. Apostolus Pau-
 lus graviter monet 2. Tim. ll. 24. 25. *Servum
 Dei non oportet pugnare, sed mansuetum esse ad
 omnes, διδακτικόν, aptum ad docendum, mala tole-
 rantem, in lenitate corripientem eos, qui resi-
 stunt* [Modò citatus *Lyra* & quædam exem-
 plaria Latina addunt objectum, cui resistunt.
 corripiendi, nempe τὴν ἀληθείαν, veritati, at hæc
 determinatio non est in Græco, nec in Sy-
 riaco, nec ut *Salmero, Estius, Justinianus*, aliq;
 fatentur, in multis Codicibus Latinis emen-
 datioribus.] Vult autem S. Paulus *Servum Dei*
 i. e. Doctorem Ecclesiæ esse ἡπιοῦ i. e. *clemen-
 tem, lenem, mitem, placidū, qui non faciliè ir-*

riteatur, aut in iram ebulliat, & ἐν παύρῃ παύρῃ
 δεύοντα τὰς ἀντιδικήσεις, in mansuetudine
 erudientem contrapositos, sive qui non de-
 bacchetur aut sapiat impotentius in errantes
 & adversantes, sive diversa sentientes, (ut ha-
 bet Commentarius *Ambrosio* adscriptus,) aut
 eos asperioribus verbis excipiat, sed cum
 mansuetudine doctrinam salutarem eis im-
 pendat. *Augustinus* τὰς ἀντιδικήσεις, tam ad
 vitam, quam ad doctrinam refert, cum pau-
 cissimi contradicant lingvis, plurimi male vi-
 vendo. Utrique mansuetè docendi sunt ab
 Ecclesiæ Ministro; Videtur tamen Aposto-
 lus hic præcipuè spectare doctrinam. Et licet
 hæc *Erronum* periphrasis ad *Judeos* nondum
 ad Christum conversos propriè pertineat, cum
 Quæstionum Judaicarum de Genealogiis &
 observationibus Leviticis, de Circumcisionis
 præstantiâ &c. frequens hoc epitheton sit, ut
 dicantur *μαρὰ ζητήσεις, stultæ quæstiones, litigia,*
pugnæ legales, inutiles, vanæ &c. Tit. III. 9. I.
 Tim. I. 4. ut benè observat B. D. *Hülsemann*
nus Dissert. de Corrupt. Frater. num. 153. pag.
 74. viderur tamen hæc Apostolica Parænesis
 ad Hereticos etiam extendi, quia subiecta,
 quibus servus Dei jubetur in docendo & cor-
 rumpendo mansuetudinem adhibere, descri-
 buntur à *μαχῇ, pugna, & quidem μαρὰ καὶ*
ἀπὸ

ἀπαίδευτοι καὶ ἡσέοι, quod pugnent stultis & in-
 eruditis quæstionibus. Non tamen agit hic
 Apostolus de obstinatis, malitiosis, inemen-
 dabilibus, & insanabili morbo laborantibus
 hæreticis, hi enim potius vitandi sunt, Tit. III.
 10. sed de illis, qui non omnem refugiunt me-
 dicinam, necdum sic desperati sunt, quia ali-
 qua eis restet ad sanitatem redeundi facultas.
 Erga hos adversarios & ἀντιτακτοὺς jubetur
 esse servus Dei docilis, patiens & cum
 modestiâ & mansuetudine eos corripere. Ci-
 tra mansuetudinem itaq; nemo potest, ut di-
 gnum est, fungi Ecclesiæ ministerio. Opor-
 tet enim esse placidum, leniter erudientem,
 loco jam allegato. Prævit Archi-Episcopus
 & caput nostrum Christus, & Ipse πᾶσι, mi-
 ris, suum exemplum nobis commendavit.,
 Matth. XI. 29. Illum sequutus Apostolus Pau-
 lus magnâ lenitate versatus in suo munere est.
 Induit namq; personam modò Patris, modò
 Matris, modò Nutricis. Unde sic alloquitur
 Corinthios I. Epist. IV. 15. *In Christo Jesu per*
Evangelium vos genui, Thessalonicenses quo-
 que ut *Pater* liberos hortabatur & consolaba-
 tur, I. Thessal. II. II. Ad Galatas cap. IV. 19.
scribit; Filii mei, quos iterum parturio. Ad
 Thessalonicenses sic rursus ait loc. citat. v. 7.
Fuimus ἡμεῖς placidi in medio vestri, ut si Nutrix

foveat suos socios. Horum vestigia legamus;
Chrysostomus alicubi dicit; *Lingvā nostrā*
quodammodo fieri lingvā Christi, si mansuetu-
dinem Christi in loquendo, docendo & disputan-
do imitemur. Minister *Ecclesiæ* probos &
 clementes Medicos imitari debet, qui non
 irascuntur ægris, nec negligunt eos, qui suā
 culpā in morbum inciderunt. Inde *Augusti-*
nus lib. adversus *Epist. Manich.* quā funda-
 mentum vocabant, cap. i. *Necessarium fu-*
erit, eligere & optare meliora, ut ad vestram
correctionem aditum habeamus, non in conten-
tione & emulatione, & persecutionibus, sed
mansuetē consolando, benevolē hortando, leniter
disputando, sicut scriptum est;) *Servum au-*
tem Domini non oportet litigare &c. Et
Epist. LXI. ad Aurelium. *Nec asperē, inquit,*
quantum existimo, nec duriter, non modo im-
perioso delicta tollantur, sed magis docendo,
quā jubendo, magis monendo, quā minan-
do: Misericorditer corripiat homo, quod po-
test, quod autem non potest, patienter ferat,
& cum dilectione gemat ac lugeat. Ferocitas
 plurimum exasperat, inquit *Oecumenius,* man-
 suetudo persuadere novit. 2. Tim. IV. 2. ait
 S. Paulus, *Predica, argue, objurga, exhortare*
et utrumque utrumque, in omni longanimitate, id est,
ut habet Chrysostomus, non quasi irascens, neque
 ut

ut adversarius neq; ut immodico fruens impetu, aut inimicum reputans, id facias; verum his omnibus omissis, quasi amans & dolens, magis; quam ille ipse luens, atq; in illius casibus tabescens, exequaris. Rationem effati Apostolici hanc affert *Prosper Aquitan.* Lib. II. de vita Contempl. c. 5. *quia leniter castigatus, exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimia offensus, neque increpationem recipit, neque salutem.* Certè redargutiones, & increpationes parum proficiunt, nisi conjuncte sint cum animi lenitate & mansuetudine. Asperitas agrestis non corrigit hominum animos, sed exacerbat & alienat. Saviter ac benevolè ducendi sunt, non protrudendi auditores. Et quamvis pro ratione objectorum, temporis item, ac loci minister Ecclesię quandoque debeat rigorem adhibere, increpare, Tit. I. 14. arguere cum imperio, Tit. II. 15. tamen rigorem illum mansuetudine temperet, & lenitatis ac charitatis affectum animo infixum perpetuò retineat, atq; ita severitati addat condimentum lenitatis. Benè *Gregorius* in *Moralibus* inquit; *Semper in Sacerdotali pectore cum terrore Severitatis custodiri debet virtus mansuetudinis, ut & iram mansuetudo custodiat, & mansuetudinem Zelus discretionis accendat. Talis est Evangelica doctrina,*